Lēctiō	octāva	Dē	septĕm	mundī	mīrācŭlīs	Hominēs	antīquī	multa	opera	pulchra	relinquēbant.	Ex	hīs	nōnnūlla

ob	māgnitūdinem	suam	pulchritūdinemque	incrēdibilem	nōmen	septĕm	mīrācŭlōrum	mundī	accēpērunt.	1.Pȳramidēs	Aegyptiī	Rēgēs

Aegyptiī	sepulcra	ingentia	sibi	aedificābant,	quae	Graecī	pȳramidēs	dīcēbant.	Etiam	nunc	stūpēmus:	Quōmodō	saxa	ingentia

sursum	portābant?	Corpus	rēgis	in	pȳrămide	mĕdĭā,	in	cellā	ōrnātā	collŏcāvērunt.	2.Hortī	pēnsilēs	Semīramis,

rēgīna	Babylōniae	clāra,	super	aedificiīs	et	columnīs	hortōs	mīrābilēs	habēbat.	In	hortīs	arborēs,	herbae,	flōrēs	virēbant.

Aquaeductus	aquam	ad	herbās	dūcēbat.	Hortōs	super	capitibus	hominum	factōs	hōrtōs	pensilēs	nōminābant.	3.Simulācrum

Iŏvis	Olympiae,	ubi	clārī	lūdī	Olympicī	erant,	Iŏvi	aedem	māgnam	aedificābant.	In	aede	simulacrum	Iŏvis	mīrābile

collocāvērunt,	quod	Phīdiās	ex	aurō	atque	ebore	fēcit.	Hominēs	ex	tōtō	orbe	terrārum	veniēbant	et	dīcēbant:

"Hoc	est	sĭmŭlācrum	mundī	pulcherrimum.	4.Templum	Dīānae	In	Asiā	incolae	Ephesī	deam	Dīānam	māximē

colēbant.	Et	templum	deae	aedificāvērunt,	quod	māgnitūdine	et	multitūdine	columnārum	templa	omnia	superābat.	Sīgnum	Dīānae

vestīmentum	aureum	habēbat.	At	templum	mīrābile	diū	aedificātum	ūnā	nocte	ruit.	Postĕā	tămen	cultōrēs

restaurābant.	5.Mausōlēum	Halicarnāsseum	Mausōlus	rēx	Cāriae	fuit.	Halicarnāssī	sibi	et	ŭxōri	sepulcrum	ingēns

aedificāvit.	Dē	rēgis	Mausōlī	nōmine	sepulcrum	ingēns	"mausōlēum"	nōminant.	6.Colossus	Rhodius	Deus	Sōl

incolās	Rhodī	in	bellō	gravī	adiūverat.	Rhodiī	prō	auxiliō	deō	Solī	Rhodi	simulācrum	dēdicāvērunt.	Simulācrum,

quod	ē	saxō,	ferrō	atque	aere	fēcērunt,	tam	altum,	quam	vīgintī	hominēs	erat.	Ītaque	Graecē	māgnum

sīgnum,	id	est	colossum	nōminābant.	7.Turris	Alexandriae	Nautae,	quī	per	mare	Alexandriae	appropinquābant,

iam	procul	turrim	aspēxērunt.	Turris	ē	marmore	altā	in	Pharō	insulā	stābat.	quae	īgnibus	clārīs	diē	et

noctē	portum	indicābat	et	mare	lātē	illūstrābat.